



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Trevirense, In Quo Excommunicatur Iterum Hugo comes,
Ludouici regis perduellis, cum episcopis aliquot ab Hugone Rhemensi
ordinatis, a Marino legato celebratum eodem anno DCCCCXLVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
 CHRISTI
 943.

pi prædictum Tetbaldum excommunicant. Hugonem vero principem vocant literis ex parte Marini legati apostolicae sedis, & sua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem & episcopos egerat.

CONCILIVM TREVIRENSE,
 IN QVO EXCOMMVNICATVR ITERVM
 Hugo comes, Ludouici regis perduellis, cum episcopis aliquot ab Hugone Rhemenſi ordinatis, a Marino legato celebratum eodem anno DCCCCXLVIII.

Actorum ſynodalium breuiarium ex chronico Flodoardi.

POSTHÆC Artaldus Treuiros proficiſcitur ad Synodum, cum episcopis Vvidone Sueſſonico, Rodulfo Laudunenſi, & Vvicfredo Morinenſi. Quo peruenientes Marinum ſeſe præſtolantem repererunt cum Rotberto archiepiscopo Treuirenſi: ceterorum vero Lotharienſium atque Germanorum præſulem illic inuenere neminem. Conſidentibus igitur illis, ſciſcitari cœpit Marinus vicarius, quid egiffet poſt præmiſſam Synodum Hugo princeps erga ipſos & regem Ludouicum. At illi referunt ſupra memorata quæ ipſis & eccleſiis eorum intulerat mala. Requirit ergo de vocatione ipſius principis Marinus, vtrum perlatae fuiſſent literæ vocationis, quas ei perferendas delegauerat. Cui reſpondetur ab Artaldo archiepiscopo, quod quædam earum perlatae ſunt, quædam vero perferri non potuerunt, earum gerulo ab ipſis graſſatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam literis quam internuntiis. Requiritur itaque, ſi adſit aliquis ex parte ipſius legatus: vbi cum nullus fuiſſet inuentus, decernitur expectandum, ſi forte aduenturus eſſet in craſtinum.

Quod cum minime contigiffet, & omnes qui aderant ſeſſio II.
 tam clerici quam illuſtres laici excommunicandum eſſe acclamarent, definitur ab episcopis hanc excommunicationem differendam vſque ad diem tertiam. Tractatur autem de episcopis qui vocati fuerant, & venire diſtulerant, vel his qui ordinationis Hugonis participes extiterant. Et Vvido quidem Sueſſonicus ſe culpabilem, pro-

stratus coram Marino vicario & Artaldo archiepiscopo profitetur. Intercedentibus autem pro eo apud Marinum Rotberto & Artaldo archiepiscopis, absolui ab hac noxa meretur. Vvicfredus Morinensis immunis ab hac ordinatione reperitur. Adest Transmari Nouiomensis episcopi legatus quidam presbyter, adstruens eundem præfulem ita graui languore detentum, vt ad eandem Synodum venire non valuerit: idque nostrates qui aderant testabantur episcopi.

Sessio III.

Tertia tandem die, insistente præcipue Liudulfo legato & capellano regis Ottonis, quoniam idem rex id omnino fieri præcipiebat, excommunicatur Hugo comes, inimicus Ludouici regis, pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis: eo tamen modo, donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino vicario, vel episcopis quibus iniuriam fecit, deteneat. Quod si facere contempserit, Romam pro absolutione sui proficiscatur. Excommunicantur & duo pseudoepiscopi ab Hugone damnato ordinati, Tetbaldus & Iuo: prior post expulsionem ipsius in Ambianensi vrbe, alter post damnationem eiusdem Hugonis in Siluanectensi ab eo constituti. Excommunicatur etiam clericus Laudunensis nomine Adelomus, quem accusauit Rodulfus episcopus suus, eo quod Tetbaldum excommunicatum in ecclesiam introduxerit. Vocatur Hildegarius Bellouacensis episcopus literis præfati Marini vt veniat coram eo, vel eat Romam rationem redditurus coram domino papa pro illicita ordinatione prædictorum pseudoepiscoporum, cui interfuerat. Vocatur & Heribertus, Heriberti comitis filius, ad satisfactionem venire pro malis quæ contra episcopos agebat. His gestis, episcopi reuertuntur ad sua.

NOTA SEVERINI BINII.

Causa Concilii.

^a *Concilium.*] Marinus duplici de causa missus fuerat ab Agapito in Galliam. Quarum prima erat, vt controuersia inter Hugonem & Artaldum de Rhemenfi archiepiscopatu decideretur: altera erat, vt regnum Ludouici, quod factione Hugonis principis variis tumultibus nutabat, ille stabiliret. Illud prius præcedente Concilio peractum fuit: hoc posterius præstitum est Treuiris in ista Synodo, quam compendiose Flodoardus lib. 4. cap. 36. & 37. describit his verbis: *Posthæc Artaldus Treuiros proficiscitur, &c. vt supra.*

CON-